

Unctionem hanc apud Latinos antiquissimam esse contendit Morinus de SS. Ordinat. parte 3. exercit. 6. c. 2. in aliquibus tamen Ecclesiis citius, in aliis ferius adhibitam fuisse probat; ipsamque Episcopalem Unctionem in Ecclesia Romanâ antiquiorem esse Presbyterali.

Expletâ unctione, Consecrator refumit præfationem, precaturque ut Deus virtutum & gratiarum abundantiam, per hanc materialem unctionem designatam, Electo infundere dignetur. *Hoc Domine, ait, copiosè in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat.*

Finitâ præfatione Chorus canit Psalm. 132. qui loquitur de unctione Aaron; atque interea Consecrator ungit chrisimate manus Electi; precaturque, ut ipse Deus eum *Chrisimate & mystica delibutionis liquore perfundat, & Spiritus bene dictionis ubertate facundet: Quidquid benedixerit, benedicatur; & quidquid Sanctificaverit, Sanctificetur; & consecratæ manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem.*

XIV. Post hæc benedicit Baculum Pastorem, eumque tradit Consecrato dicens: *accipe Baculum Pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis præ saviens, judicium sine iracundia, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate se veritatis censuram non deserens.*

Baculi hujus Pastoralis, qui communiter dicitur *pedum*, meminit quoque antiquus Ordo Romanus; quoniam Concilium Toletanum IV. an. 633. can. 28. inter ornamenta Episcopalia *Baculum* numerat.

Apud Græcos, quemadmodum observat Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum pag. 313. edit. Parisiensis an. 1647. "à cunctis, tum Pontificibus, tum Monasteriorum, Præfatis, manibus fertur; illoque utpote breviori & minus pretiosâ materiâ conspicuo (tardè namque argenteus est, sapius autem ebero & ebene solum variegatur) per viam gradientes se sustentant: Illoque ut potestatis in inferioribus exercendæ symbolo, ab Imperatoribus quondam donari solitos Patriarchas, & alios præcipuos imperatorum præfectos scribit Codinus c. 20. Patriarcham quidem his verbis: *Patriarcha deinde in suggestu conscendens, è manu Imperatoris pedum Pastoralis accipit.*"

VX. Non immerito ergo notavit Morinus citatâ exercitatione 2. cap. 2. n. 5. hanc ceremoniam esse admodum antiquam.

Illud tamen notandum, quod Romanus Pontifex non utatur Baculo Pastoralis, tum propter historicam, tum propter mysticam rationem, ait Innocentius III. in cap. Unico de Sacra Unctione.

Pontificem hic citare acta S. Martialis Limovicensis, atque alludere ad historiam in illis relatam rectè monet Baronius ad diem 30. Junii; quam historiam Glossa recitat his verbis: "Martialis anus de Discipulis Petri, quem possit Dominus inter discipulos cum dixit: nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum Cælorum &c. quem postea Petrus cum alio, scilicet Materno, ad prædicandum misit in Germaniâ, qui cum iret mortuus est, & rediit collega ad Petrum: & Petrus ait: *Accipe baculum, & tangens eum dic ut in nomine Domini surgat & prædicet, & ivit. Et XL. die à tempore mortis tetigit eum & resurrexit, & prædicavit, & ita Petrus removit à se baculum, & dedit subditis.*"

Vetum adverterunt Eruditi, hæc acta Martialis, quæ tamquam ab Aureliano ejus immediato successore scripta circumferuntur, non obscura præferre suppositionis & falsitatis indicia. Et quidem per crassam incertiam auctor dicit, Vespasianum successisse immediatè Neroni. Afferit insuper, Martialem parem cum Apollolis à Christo post resurrectionem accepisse potestatem, eum numquam efuisse vel sitivisse aut aliquo dolore laborasse, & alia plura narratur; quæ non minus fabulosa sunt, quam quæ in Synodo Limovicensi anno 1031. celebratâ profferendo S. Martialis Apollolatu, narratur, Cujus con-

sequenter auctoritatis reputanda sit historia, quæ unice innititur fidei hujusmodi actorum, intelligi potest.

Mysticas rationes plures allegant Glossa, Joannes Andreas alique relati ad citatum Cap. Unicum, verbo: *Mysticam rationem*; quæ, an sat sint convenientes, meritò Lector expendat. illud interim constat, Romanos Pontifices olim etiam usos fuisse virga Pastoralis.

Luitprandus enim loquens de exactione Benedicti V. Pontificis in quodam Romano Conciliabulo factâ an. 964. inter alia dicit: "Post hæc Pallium tibi abstulisti (Benedictus) quod simul cum Pontificali Ferula, quam manibus gestabat, Domino Papæ Leoni reddidisti, quam manibus idem Papa fregisti, & fractam populo ostendisti." Habetur tomo 9. Conciliorum Generalium Col. 659. Eadem habet author Appendicis ad Reginonem an. 964. Et Cencius Cameratus in Ceremoniali, de inauguratione Celestini III. Papæ: "Idem Electus sedet ad dexteram in sede Prophætica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii dat ei Ferulam, quæ est signum Regiminis & correctionis."

XVI. Post traditum Baculum Pastorem, Consecrator benedicit anulum; eumque in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens: *Accipe anulum, fidei scilicet signaculum; quatenus Sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, inemerata fide ornatus, illatè custodias.*

Meminit quoque annuli tamquam ornamentum Pontificalis vetus Ordo Romanus, ubi & tres verborum formulæ, per quas annulus tradi possit, referuntur; quarum sola tertia hodiernæ formulæ conformis est.

Et ante annos mille jam citatum Concilium Toletanum IV. can. 28. ornamentis Episcopalibus annoverat anulum: ut proinde etiam hanc ceremoniam jure merito admodum antiquam dicat Morinus loco supra citato. At tamen quia apud Alcuinum, Amalarium, & Rabanum de anulo tumtum est silentium, argumentum est sat plausibile, serius in Gallia & Germania fuisse notam; quemadmodum Græcos Episcopos ANNULI usum ignorare, testatur Jacobus Goar loco citato.

XVII. Imposito annulo, Consecrator accipit Librum Evangeliorum de scapulis Consecrati; & adjuvantibus ipsam Episcopis assistentibus, tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commissio; potens est enim Deus, ut auget tibi gratiam suam.*

Huic traditioni vim Consecrationis nonnulli Scholasticorum dare voluerunt; at eos refutat Morinus, observans: "Quòd traditio illa res sit nupta, quam, ait, nulli Ritua- les ante quingentos annos scripti, nulli Auctores ante idem tempus commemorant, licet nonnullis, ut Isidoro, Alcuino, Amalarium, & aliis commemorationis causâ, non defuisset. Nec etiam illa ætate invenies Authorem, aut Ritualem, qui de Ordinationibus Sacris agentes, istius ceremoniæ meminerit."

Deinde judiciosè reflectit Morinus, quòd & in traditione Baculi Pastoralis, annuli & Evangelii semper Episcopus dicatur Consecratus, ante autè semper, Electus. Indicium minimè obscurum, quòd etiam Liber Pontificalis, ante hanc traditionem, eum habeat pro Consecrato; adeoque & traditiones illas ut meras ceremonias Consecratio Episcopo accedentes.

XVIII. His peractis, Consecrator pergit in Missa usque ad Offertorium inclusivè. Dicto Offertorio, sistit se Consecratus medius inter Episcopos Assistentes coram Consecratore; eique offert duo intorticia accensa, duos panes, & duo barilia vino plena; idque juxta antiquam Ecclesiæ disciplinâ, cujus hic memoria conservatur. Ipse enim Ordo Romanus circa sæculum 9. aut 10. compositus, ritum offerendi describens, ait: "Populus dat oblationes, id est, panem & vinum, & offerunt eum sanonibus canonicis, didis primò masculi, deinde foeminae." Sed de his plura infra parte 2. Titulo De Oblationibus.

XIX. Post hæc Consecratus ad posterius cornu Episcopi

solz altaris accedit, & ibi stans medius inter duos Episcopos Assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit & facit omnia prout in Missali. Deinde cum ad Communionem ventum est; Corporis Christi Communionem accipit à Consecratore reverenter inclinatus, non genuflexus. Unam autem hostiam ambo, id est, Consecrator & Consecratus consecrant, & de ea participant. Similiter Consecrans postquam Sacri Sanguinis partem cum hostiæ particula intincta sumpsit, reliquum Sanguinis Consecrato tradit.

XX. Hæc rursus si cum moderno Ecclesiæ Latine ritu conferantur, planè extraordinaria apparebunt; at si comparetur cum ritu, qui ante quingentos aut sexcentos annos viguit in Ecclesia Latina; & adhuc hodie viget in Ecclesia Græca, apparebit nihil hic extraordinarii fuisse statutum, sed hinc conservatum esse veteris ritus monumentum.

Nihil enim olim tum in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Ecclesia Græca usitatus ac frequentius, quam plurimum Presbyterorum aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebratio; idque eodem penè per omnia ritum qui hodie in Episcopi Consecratione superest; quemadmodum latè probat & describit Morinus de SS. Ordinat. parte 3. exercit. 8. c. 1. eumque tempore Innocentii III. id est, sub initium sæculi 13. nondum abolitum fuisse advertit, licet tunc abolescere cepisset; ejusque abolitioni multum subservivisse Theologia Scholasticam, quæ sub id tempus præcipuè exarsit; eò quòd mos ille sive ritus fuerit Doctoribus Scholasticis innumerarum difficultatum seges amplissima.

XXI. Finitâ Missâ Consecrator benedicit Mitram eamque adjuvantibus ipsam Assistentibus Episcopis capiti Consecrati imponit, dicens: *Imponimus, Domine capiti hujus Antistitis & agonistæ tui galeam munitionis & salubris quatenus decorata facie, & armato capite, cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, & se ei largiente gratiam, impugnatorem eorum robustus existat: qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consorcio decoratam lucidissimis tue claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui tiarâ imponi jussisti.*

Vit eruditus Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentarium S. Gregorii pag. 362. de Mitræ usu loquens ait: "Cujus in Sacramentariis nostris manuscriptis, in Ordinationibus Romano & Tiliano, in Pontificali manuscripto, quòd servatur in Sacristia Ecclesiæ Rothom. & putatur esse Remense, Missa ab Illyrico edita, apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, & alios antiquos Scriptores, qui de Officiis Divinis tractaverunt, & ornamenta Pontificalia recensent, mirum est silentium: ita ut existimem, vix ante annum post Christum natum millesimum mitræ usum in Ecclesia fuisse."

A mitra sive Pontificio pileo capiti imponendo (ait Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum pag. 314.) hucusque; vulgò Græci abstinerunt: cujus rationes prolixè ibidem proponit Goartius.

Post hæc, ex præscripto Pontificalis sequitur benedictio chirothecarum, quas, adjuvantibus Episcopis Assistentibus Consecrator imponit, manibus Consecrati dicens: *Circum da Domine manus hujus Ministri tui munditiæ novi hominis, qui de cælo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hædorum operis manibus, paternam benedictionem, oblato Patri cibo potusque, gratissimè, impetravit; sic & iste oblatæ per manus suas hostia salutaris gratia tua benedictionem impetrare mereatur.*

Chirothecarum usus Apostolicæ traditionis esse asserit Honorius Augustodunensis in Gemma animæ Lib. 1. c. 215. ubi ait: *Chirothecarum usus ab Apostolis est traditus. Sed [ait Cardinalis Bona Lib. 1. rerum Liturgic. c. 24. §. 12.] hoc credibile non est, cum per aliquot sæcula, nullum earum reperiat monumentum, nec illis umquam usâ sit Ecclesia Orientalis.*

Meminit interim chirothecarum sive Manicarum in Ordinatione Episcopi sub certa verborum formula Consecrati manibus imponendarum vetus Ordo Romanus: earundem quoque inter ornamenta Pontificalia meminit vetus liber Sacramentarius, jussu Rotaldi Abbatis Corbejenensis ante annum millesimum scriptus, uti in præfatione ad Sacramentarium S. Gregorii monet Menardus, qui primus illum publicavit.

In Missa quoque quam Illyricus sub nomine Missæ veteris Gallicanæ præcedenti sæculo edidit; & quam Cardinalis Bona in appendice ad libros suos rerum liturgicarum sub titulo *Missæ Romane variis orationibus interpolata* divulgavit, extat quoque oratio ad induendas manicas: *Creator totius creaturæ, dignare me indignum famulum inducens mentis justitiæ & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus.*

Hinc apparet hunc usum non ad eò esse in Ecclesia recentem.

Hactenus dicta sat ostendunt, ritus ac ornamenta Pontificalia in Ordinatione Episcoporum, unice ex mente Ecclesiæ ad hoc adhiberi, ut ipsis Episcopis in memoriam reducatur, quas virtutes ministerium Episcopale in ipsis exigat; & qualiter suo Officio eos incumbere oporteat. Hinc videant Episcopi, quanto opere à spiritu Ecclesiæ aberrent, qui illa Pontificalia ornamenta tibi quai ad pompam ac factum mundanum imposita & data credunt.

CAPUT IV.

De Effectu Consecrationis; ac præcipuè de Vinculo quoque Ecclesia alligatur Episcopus; & unâ de prohibita translatione Episcoporum.

- Olim ante Consecrationem nullum jus acquirebatur Electo.
- Per Consecrationem olim in Episcopum transibant non solum quæ erant Ordinis, sed & jurisdictionis.
- Hodie sola conferuntur quæ sunt Ordinis.
- Plenitudo nihilominus Sacerdotis conferunt per Consecrationem.
- Episcopus alligatur Ecclesiæ cui præficitur, eamque sibi desponsat.
- Transmigrationes de una Ecclesia ad aliam vetitæ per Synodum Nicenam.
- Hinc obsequens Eusebius Casariensis laudatur à Constantino Magno.
- Ariani Episcopi Synodi Nicenæ Decretum contemnunt.
- Patres Sardicenses hisce occurrere volentes graviori penâ transmigrationes Episcoporum prohibent.
- Communione laica etiam in sine vitæ præsentis Episcopos sine causa ad alias Ecclesias transmigrautes; & quæ hujus disciplina ratio?
- Sensum Canonis intervertit Raymondus Decretalium compilator.
- Hæc disciplina rigorosè observata in Ecclesia Romana.
- Canon Sardicensis etiam sæculo X. renovatus.
- Sub his Canonibus non comprehenduntur translationes Episcoporum factæ necessitate aut utilitate Ecclesiæ cogente.
- Translationes olim fiebant auctoritate Synodi Provincialis.
- Auctoritas illa Synodi Provincialis mansit inconcussa sæculo IX.
- Sæculo Duodecimo Sedes Apostolica videtur fuisse reservata.
- Innocentius III. dicit, Institutione Divina translationem Episcoporum esse reservatam.
- Quomodo illud dictum Innocentii intelligendum?
- Hodie sola auctoritate Romani Pontificis Episcopus à sua Ecclesia absolvere potest.
- Translatio Episcopi hodie fieri nequit sine consensu Regis, ejusque nominatione.

22. *Etiā hodie translationes fieri nequeunt sine necessitate, aut majori utilitate Ecclesie.*

I. Multis sæculis Consecrationem Episcoporum hanc fuisse à Confirmatione sejunctam, non semel in præcedentibus notavimus; ac insuper observavimus, olim per electionem Cleri & Plebis nullum propriè jus Electo fuisse acquisitum, multisq; sæculis ignota fuisse, per electionem acquiriti Electo *ius ad rem*; per Confirmationem verò *ius in re*; hæc enim Patrum ætas ignoravit.

II. Hac ergo disciplina durante, Electus nullum jus habebat in administratione Ecclesie; neq; Ecclesie Pastor aut Prælati habebatur ante Consecrationem; sed demum per Consecrationem sive ordinationem Episcopus constituebatur. Unde Patribus idem erat, Ordinare aut Consecrare Episcopum, & constituere Episcopum, aut Ecclesie de Episcopo providere: neq; inter illa decem primis Ecclesie sæculis in Sacris Canonibus ullum discrimen reperitur.

Itaq; si pristinam illorum temporum disciplinam spectemus per Consecrationem demum, omnem accipiebant Episcopi auctoritatem & potestatem; tam quoad ea quæ *jurisdictionis*, quàm quæ *Ordinis* dicuntur. Neque illa sine his in Episcopos transibant.

III. At posterior ætas, quæ Confirmationem à Consecratione distinguere cepit, etiam ea quæ *jurisdictionis* sunt ab his quæ *Ordinis* sunt tandem separavit: atq; per Confirmationem ante Consecrationem quæ *jurisdictionis* sunt in Episcopum transire voluit; imò per Confirmationem Pastorem ac Prælatum Ecclesie sine Consecratione constituit; omneq; regimen Ecclesie committit; solis iis exceptis, quæ *Ordinis* sunt; quæ tamen ut in Ecclesia sua, aut Subditis suis per alios Episcopos conferantur & impendantur, permittere, aut delegare potest; uti titulo præcedenti c. 4. latius ostendimus.

IV. Itaq; juxta hodiernam disciplinam Consecrationis proprius effectus censetur, Electo & Confirmato conferre characterem Episcopalem; vi cuius accipit plenitudinem Sacerdotii; & vi hujus consequitur plenissimam Episcopalis Ministerii exercendi auctoritatem, etiam quoad ea quæ *Ordinis* sunt; cumq; prius, licet confirmatus adhuc esset in Ordine Presbyterali, per Consecrationem in Superiorem, scilicet Episcopalem sublimatus est; atq; archiori quodammodo vinculo Ecclesie alligatus seu Consecratus.

Hinc illud Innocentii III. spectata recentiori disciplina: "Spirituale sœdus conjugii, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, in electione *instauratum*, in confirmatione *ratum*, & in consecratione intelligitur *consummatum*." *Cap. 4. De Translat. Episc.*

V. Porro seu disciplinam veterem, sive recentiorem attendamus, Episcopus semel certæ Ecclesie datus & ordinatus, illi tamquam perpetuus illius Minister ac Pastor alligatus est; eamq; quodammodo sibi sponsam & uxorem desponsat, ideoq; eam facilè deserere, aut aliam desponsare, adulterii cuiusdam spiritualis species Patribus visum fuit; præterquam quod transmigrationes de una ad aliam Ecclesiam, ipsi Ecclesiis perniciosas, & populo scandalosas existimarent; nec aliunde quàm ex avaritia vel ambitione procedere.

Et quidem à tempore, quo Ecclesia pleniori pace sub Constantino fuit cœpit; atq; temporalibus magis abundare, necesse fuit huic avaritiæ ac ambitioni frænum per Sacros Canones injicere.

VI. "Propter multum tumultum" ait Canon 15. Nicæ., nus] & seditiones quæ sunt, omnino visum est, ut consuetudo, quæ præter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur; ut à civitate in civitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus *transseat*. Si quis autem post sanctæ & magnæ Synodi definitionem tale quippiam aggressus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino reformabitur, & Ecclesie restitue-

tur, cui Episcopus vel Presbyter ordinatus fuerit."

VII. Hunc Canonem, ejuq; rationem perpendens Eusebius Cæsariensis, qui Concilio Nicæno interfuerat, recitavit relicta Ecclesia Cæsariensi ad Antiochenam transire; cuius factum laudans Constantinus in litteris ad Eusebium datis dixit: "Rectissime fecit Prudentia tua, quæ, & mandata Dei, & Apostolicam atq; Ecclesiasticam Regulam custodire stavit, Episcopatum Antiochenis Ecclesie repudiatis, & in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandato ab initio suscepisset." Apud Eusebium *Lib. 3. De vita Constantini* c. 6. editionis Valensianæ.

Quasi diceret; rectissime fecit, quod Ecclesiam cui Dei mandato ab initio fuit mancipatus, non deserueris; sive repudiaveris aliâ desponsatâ.

VIII. Non obstant æquissima hæc Apostolica & Canonica regula à Synodo Nicæna exposita & probata, Episcopi plures præsertim Ariani, crebris mutationibus & translationibus, eo tempore, omnes Orientis Ecclesias perturbabant; idq; tum ambitione, tum avaritia ducti; tum etiam ut hæresim suam latius spargerent: exemplum seculi Ducis in Eusebio, qui primus Byzanti Episcopus, deinde Episcopatum Nicomediæ; postea Constantinopolis ambivit & obtinuit, ope Imperatoris Constantii: "Quin etiam depositis Episcopis Orthodoxis, aliquando relegatis, imò & necatis, in eorum Episcopatus transferebant Ariani suarum partium Episcopos; ut constat ex epistola Synodi Alexandrinæ, relata ab Athanasio in 2. Apologia de fuga sua, & in epistola ad vitam solitariam degentes com. 1.

IX. Hisce ut occurrerent; Patres Sardicenses graviore sanctione & pœna coercendas hæc transmigrationes censuræ. Itaq; Osius Præses Concilii, Patres alloquens dixit: "Non minus mala consuetudo, quàm pernicioia corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopos de civitate sua ad aliam transire civitatem." Deinde hanc hujus corruptelæ rationem notandam, ac utinam non modernarum translationum ordinariam causam, subjicit: "Manifesta est causa, quæ hoc facere tentant: cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majori ad minorem transiret. Unde apparet avaritia ardore eos inflammati, & ambitioni servite, & ut dominationem agant. Si omnibus placeat, hujusmodi pernicioes servitii & auctrius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi: *Placet*."

Can. II. ita habet: "Omnis Episcopus dicit: Etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens, assereret, quod populi litteras acceperit, cum manifestum sit, potuisse paucos premio & mercede corrupti eos qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum, omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ut nec laicam in fine communionem talis accipiat, si vobis omnibus placet statuite, Synodus respondit: *Placet*."

X. Communionem ergo Laica, nec in fine vitæ donandos Episcopos, contra Canonicas Sanctiones de una ad aliam migrantes Ecclesias docerit Canon; ad quem rigorem reflectens Aristenus ait: Hoc enim inauditum & horrendum est, ut neq; in discessu communionem dignus censetur, quod alibi in Canonum ullo non invenies, cui libet impositum & infictum peccato."

A vero forsitan non aberravit Aristenus Auctor Græcus, si ad Orientales reflexerit Ecclesias: nam ipse Morinus *lib. 9. c. 19. de panit. fatetur*, in Orientalibus nulli unquam crimini hanc pœnam impositam fuisse: in aliquibus tamen Ecclesiis, primis sæculis, tria crimina, nimirum idololatriam, homicidium, & mœchiam hæc pœna fuisse vindicata; id, illis, qui horum aliquod admisisset, etiam in fine vitæ reconciliationem denegatam fuisse, *disseeri, ut opinor*, ait Morinus, *nemo poterit, qui antiquorum testimonia de hac re tantisper animo versaverit.*

Cum

Cum ergo mœchiam carnali olim in aliquibus Ecclesiis inposita legeretur hæc pœna; eandem hic inponi non abs re censuit Synodus Sardicensis, uti notavit Christianus Lupus scribens: "Episcopi enim sine competentibus, hæc translatio est *Spirituale adulterium*, nequaquam minus carnali, cui eandem pœnam antiqua Ecclesie disciplina infligit." In Scholiis ad *Dilectum Gregoris VII. Can. 13.*

Si ergo ex rigore & atrocitate pœnæ liceat arguere de enormitate delicti, expendant Episcopi, qui tam facile paupere & humili Ecclesia desertâ ad ditioiem ac honorabiliorē transeunt, quanti peccati periculo se exponant.

XI. Canonis 1. fragmentum refertur in *Cap. 1. De Clericis non residentibus*. Canon verò 2. relatus est in *Cap. 2. De Electis*. Sed Raymundus Decretalium Gregori IX. Compilator reflectens ad pœnam hoc Canone inflictam, scilicet, privationem communionis *Laica*, etiam in fine vite; eamq; disciplinam sui temporis dilationem videns, addidit hanc parenthesim, *missis de hoc panituerit*, non solum contra omnium Laicorum & Clericorum Codicum, atq; ipsius pristinae Decretalium compilationis fidem, verum etiam contra manifestum Canonis sensum. Ut vel hinc appareat, quàm necessarium sit ad ipsos fontes, è quibus sua desumpserit Raymundus, recurrere, ut genuinus Canonis sensus habeatur.

Innumeri sunt Ecclesie Canones, & Pontificum Decretalia; hæc disciplinam stabilientes Canonesq; Nicænos & Sardicenses innovantes; quorum plures à Gratiano *causa 7. q. 1* referuntur.

XII. Et quidem adeo tenax hujus disciplinæ fuit Sedes Apostolica, ut primus de alia Ecclesia ad Romanam transmigrasse dicatur Formosus circa finem sæculi 9. neque in omni illa horrenda barbarie quæ adversus defunctum exercuit Stephanus VII. aliud ei impropere assilatur, nisi *cum Portuensis esset Episcopus, cur ambitioni spiritus Romanam universalem sedem usurpasset?*

XIII. Joannes IX. successor Stephani volens reparare quæ nimia atrocitate & odio in Formosum attentaverat Stephanus; & ne tamen factum Formosi ab aliis in perniciosum exemplum traheretur hunc in Concilio Romano anno 940. Canonem edidit. "Quia necessitatis causâ de Portuensi Ecclesia Formosus pro vita merito ad Apostolicam Sedem proventus est. Statuitur & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cum Sacri Canones hoc interdiciant, & præsumptes tanta feriant ultione, ut etiam in fine *Laicam eis prohibeant* communionem; quippe quod necessitate aliquoties inductum est, necessitate cessante in auctoritatem sumi non est permittam."

XIV. Hic Canon dum ostendit, quantopere Sacri Canones transmigrationes Episcoporum, quarum avaritia vel ambitio causa est, avertentur; una quoq; ostendit, translationem Episcopi, quam necessitas aut utilitas Ecclesie exigit, hæc prohibitionem non comprehendit. Tunc enim non tam dicuntur Episcopi suam Ecclesiam deserere, repudiare, aut ad aliam migrare, aut invadere; quam cogente necessitate aut utilitate Ecclesie ab Ecclesia avelli & ad aliam protrudi sive transferri.

Hanc distinctionem manifestè supponit antiquus Canon 14. Apostolorum: "Episcopo non liceat suâ relicta Parochia ad aliam transire, etiam si pluribus cogatur, nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse us, qui illic habitat, pietatis verbo conferte, idq; non ex se, sed ex *multorum Episcoporum judicio & maxima exhortatione*."

Et apud Gratianum legitur ex epistola Anteri Papæ: "Non enim transit de civitate ad civitatem, nec transferatur de minore ad majorem, qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut viâ propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus, & inthro-

nizatus est." *7. q. 1. can. 34.*

Plura in hanc rem ibidem recitat Gratianus, atq; inter alia ex Synodo Carthagenensî IV. *Can. 27.* "Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quilibet inferioris Ordinis Clericus, si non *utilitas* Ecclesie sciendum poposcerit, Decreto pro eo Clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus Episcopo surrogato."

Etiam antiquum in hanc rem Canonem; atq; plura antiquorum & Sanctorum Episcoporum exempla profert Socrates *lib. 7. hist. Eccles. c. 35.*

XV. Insuper ex citatis Canonibus & aliis innumervis veteris disciplinæ monumentis & historiis compertum est, ad Metropolitanam & Episcoporum Comprovincialium cognitionem olim spectasse, an ex translatione hujusmodi emergeret sit utilitas Ecclesie tantæ; aut ea urgeat necessitas, ut omnibus expensis merito Episcopus à vinculo quo Ecclesie suæ tenetur alligatus, absolvetur, & alteri alligetur.

Et Canon Antiochenus 16. aperte quoq; supponit Episcopum auctoritate Synodi Provincialis, quam *perfectam* Synodum vocat, de Ecclesia in Ecclesiam transferri posse; quam disciplinam usq; ad sæculum decimum inconculsam mansisse ostendit Thomassinus; atq; circa illa temporâ paulatim ad Sedem Apostolicam devoluti cepisse Episcoporum translationem; utpote quæ *majoribus causis*, quæ sub idem tempus Sedis Apostolicæ reservari ceperunt, tunc annumerata fuerunt. *De disc. Eccl. par. 3. lib. 2. c. 40.*

XVI. Hinc in epistolis illis, quas primis Romanis Pontificibus supposuit, nescio quis Pseudo-Isidorus circa sæculum nonum, integra adhuc circa translationes Episcoporum elucet Synodorum Provincialium auctoritas; Nam (ait suppositus) sive fictus Anterus in citata epistola, sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulares Episcopos, & reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas, aut necessitas coegerit, supradicto modo & *mutare*, & inthronizare potestatem habent."

Additur quidem apud Gratianum: *Non tamen sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia*; sed uti rectè notantur Correctores Romani, hæc verba non leguntur in epistola Anteri, neq; in Panormia, neque apud Burchardum & Ivonem.

Non obscurem sive argumentum, tempore Pseudo-Isidori, id est circa sæculum IX. adhuc constantem fuisse disciplinam, quæ Synodis Provincialibus translationes Episcoporum tribuit.

XVII. Sæculo verò XII. quò Gratianus Decretum suum compilavit, eas Sedes Apostolicæ fuisse delatas; ac propterea dictam clausulam epistolæ Anteri fuisse adjectam.

XVIII. Igitur cum magna moderatione intelligi oportet, quod scripsit Innocentius III. Decano & Capitulo Andegavensi, & refertur in *Cap. 2. De translat. Episc.* Non enim humana, sed potius *divina potestate* conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romanæ Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur; & ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam *constitutione Canonica*, quàm *institutione divina* soli sunt Romano Pontifici reservata."

Et rursus in *Cap. 3. eodem titulo* dicit: "Potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod soli Beato Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus suis, speciali privilegio tribuit & concessit, sicut testatur antiquitas, cui Decreta Patrum sanxerunt exhibendam reverentiam. Et evidenter asserunt Sacrorum Canonum sanctiones. Non enim homo sed Deus separat, quos Romanus Pontifex [qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris] Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana, sed *divina potestatis* auctoritate dissolvit."

Hæc, inquam, non severè ad rigorem expressionis sunt acci.